



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **In Genesin Enarratio**

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

IX. De Cruce, quæ comitatur profektionem doctrinæ de Christo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Ac etiamsi sumus Asini, magna & tristi mole peccatorum & calamitatum onerati, tamen hæc mala emendantur & sanantur in nobis, cum uera poenitentia ad Christum confugimus. Is enim nos ad suam Vitem alligat, nos inebriat, non quidem uno, in quo est *δυσωτία*, sed Spiritu sancto, cuius instinctu & afflatu pij in omnibus periculis, & in media morte, & acerbissimis supplicijs leti sunt ac rident, ut Laurentius, Agne, Agatha, Spiritu sancto inebriati, intrepidis animis & alacri ac ridenti uultu mortem adueniunt.

## I X.

*Lauabit in Vino stolam suam, & in sanguine uæ pallium suum.*

**DE CRUCE, QUÆ COMMITATUR professionem Euangelij de Christo.**

Vt Iohan. 15. CHRISTVS inquit. Omnem palmitem in me manentem & fructum ferentem purgat pater, ut fructum maiorem adferat. Sic Ecclesia & omnes pij alligati ad uitem Christi, & profitentes Euangelion de CHRISTO, purgantur Cruce, quæ hic uenustissima Metaphora describitur.

Lauda



Lauabit in sanguine uuae, hoc est, in uino rubro stolam suam. Etsi enim stola tincta uino rubro uideatur non elui, sed contaminari: sic mors & ceterae calamitates uidentur Ecclesiam prorsus deleturam esse: Tamen ut Amiantus gemma in ignem coniecta non consumitur, sed fit lucidior & purior, Sic Ecclesiae per ipsas lucet ærumnas decus, ut supra capite 37. Octo causæ finales seu utilitates ærumnarum Ecclesiae recensuimus, quæ adhibeantur ad hunc locum illustrandum.

## X.

*Dentes eius Lacte candidiores*

Efficacia ministerij Euangelici describitur. Vt enim infans lacte materno alitur: Sic Ecclesia & omnes pii in hac uita aluntur & sustentantur, & à peccatorum deformitate liberantur, & candidi fiunt per uerbum Euangelij CHRISTI in ministerio sonans.

*Omnes sequentes benedictiones, tantum  
ad res corporales, non ad  
Christum perti-  
nent.*

*Zabulon promittuntur diuitiæ, ut semper litto-  
rales*